





[Faint, illegible handwritten text on aged paper]

1
2
2
29
2
2
2
2
2



1684.

22. Müllerus, Joh. Jac. : De imperio Victoris II.
23. Müllerus, Petrus : De auxiliis potentiorum.
- 24^a Müllerus, Petrus : De immunitatibus praedictorum
ecclesiarum a muneribus . . . occasione
15. P. de H. eccles. 2 Sumpt 1684^o 1700.
25. Müllerus, Petrus : De executione provisionali . . .
26. Müllerus, Petrus : De fide facta
- 27^a, 6, 9 Müllerus, Petrus : De arbitrio commutiali.
28. Müllerus, Petrus : De his, quae nuda sunt.
29. Roth, Henricus Balthas. : In re fidejussoris conven-
nere volentis principalem debitorem antequam ipse
solvat.
30. Roth, Henricus Balthas. : De casu casum practi-
corum resolutorum circa materiam hypothecariae
actionis
31. Sagittarius, Caspar : Historia inclutae civitatis
Holsatiae Reusburgi.

1684.

32. Sagittarius, Caspar: --- Originis --- ducum
Brunsvico-Luneburgensium.
33. Sagittarius, Caspar: Antiquitates archiepiscopatus
Magdeburgensis, quam pluribus nunquam antea editis
Ottonis I diplomatis, bullisq; pontificiis distinctae.
34. Sagittarius, Caspar: Historia Marchionum ac Elec-
torum Brandenburgensium ab origine Marchiae
ad praesentem usque statum repetita.
35. Schroeterus, Christianus: De iusta materia quo-
randa.
- 36^a. Steuylus, Jo. Philippus: De conventionibus, quae
partibus nocent: Resignificatione
36^b. Hohl, Georgius: De probationibus et
37. Struve, Georgius Adamus: De probationibus et
praesumptionibus.
38. Struvius, Georgius Adamus: De episcopis.
39. Struvius, Georgius Adamus: Claustrina sponsalia.

)
tis
ctae
Plee-
ise

o -

el

~





1.
2. D. B. V. 1684, 22 43
DISSERTATIONVM ACADEMICARVM
DE

IMPERIO DICTATORIS

SECUNDA

IMPERIVM DICTATORI SV-
MVM EX PRINCIPIIS HISTORICO-
POLITICIS ASSERENS

QVAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTA TE
PHILOSOPHICA

PRAESIDE

M. JOH. JAC. MULLERO

FACVLT. PHILOS. ADIVNCTO

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

GERH. HENR. BREDEHOLL

HARBURGENSIS

AD DIEM APRIL. A. C. MD LXXXIV.

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM

IENÆ

Litteris NISIANIS.



F. F.

S V M M A R I V M.

I. *Conspectus tractandorum.* II. *variis imperii
acceptationibus subjicitur quæ hujus loci, additis
ejusdem & synonymis & definitione, cujus sin-
gula partes III. IV. V. VI. VII. IIX. fu-
sius exponuntur. IX. transitus fit ad quæstio-
nem, præmissis decisioni ejus eodem & sequentibus
X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.
certis cautionibus, quas ipsa decidendi rationes ex-
cipiunt, quarum prima XVIII. XIX. XX. ex in-
stituentis occasione ac scopo; secunda ex indica-
tis XXI. XXII. XXIII. XXIV. Dictatoris ju-
ribus elicitur: quibus sequioris ordinis argumen-
ta XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.
XXXI. ab Insignibus, Nomine, Consensu auctorum,
eorum etiam, qui cum Æsymnetico aut Augustali
conferunt imperio, subjunguntur, adjectâ XXXII.
eoque ultimò intimatione, quæ proxima diserte-
tione peragenda.*

A 2

§. I. Ad-

§. I.



Dductis priori dissertatione ex Historicis, quæ de DICTATORIS natura pro meliori sequentium intellectu præcognoscenda erant, arduam nunc neque in hunc usque diem satis inter Politicos expeditam quæstionem de IMPERIO DICTATORIS aggredimur, in cuius feliciorem decisionem placet pauca de Imperio, quod altera nostri thematis vox est, præmittere.

§. II. Vocem *Imperii*, ut patet, in præsentis non concretivè sumimus pro jus habente, hoc est, pro cœtu, vel quolibet, qui pleno rerum suarum arbitrio pollet ac dominio, aut illo, qui alias Resp. amplitudine ditionis ac mole virium splendorisque præcellit, qualia sunt celebrata illa quatuor orbis imperia; sed abstractivè pro jure, etsi non in eo abstracti significatu, quò jus ac dominium quodvis, etiam quod societatibus simplicibus competit; aut illa jurisdictionis pars, quæ Jctis imperium mixtum dicitur; aut (a) ductus suadendi statuendique in ordine ad alios socios auctoritas, quam Latini imperium, Græci modestiori τῆξεως vocabulo exprimunt; aut etiam superioris postulata; aut denique per metonymiam actus imperii ab hoc tanquam effectus à suo principio procedentes, imperia dicuntur; sed speciatim pro imperio civico seu facultate morali gubernandi civitatem eoque summo & altioris gradus inter homines nescio, quod (b) Politicis quibusdam hoc quidem loco incongruè admodum τὸ πολίτευμα, benè tamen πολίτευμα τὸ κρείον, ἀκρα ἐξουσία, αὐτοκρατορία, κυρία ἀρχὴ (voce tamen ἀρχῆς, benè monente (c) Bæclero, pro im-

a) Hugo Grotius de Jur. B. ac P. lib. 1. c. 3. §. 21. n. 8. & 9.

b) Piccart. comment. in 3. Polit. c. 6.
c) in Hug. Grot. lib. 1. c. 3. p. 220.

imperio, non ut vulgò perperam pro magistratu sumpta) *imperium ἀντιέδουον, summum rerum arbitrium, summum rerum iudicium, summum imperium, imperium absolutè, jus imperii & majestas* audit & cum indifferentia ad plenum & non plenum imperium non malè per *summam in civitate potestatem* definitur.

§. III. *Potestatis* notione loco generis hic positæ, ut patet, *jus* quoddam intelligimus, non *imperfectum*, quod *Græci* consuetò ἀξίας, *Latini* aptitudinis vocabulò exprimunt, sed (d) *perfectum*, cujus exercitium etiam per vim bellicam aut judicialem adversus externos aut socios, qui illegitimè illud impedire ac suspendere conantur, adseri potest, & *Græcis* ἐξουσία, *Latinis* facultas moralis, *Jctis suum*, audit.

d) Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. lib. 1. c. 1. §. 19. p. 16.

§. IV. Neque tamen potestatem pro jure cum sumimus jus duntaxat in personas intellectum volumus, (e) quò solò bonis etiam Auctoribus interdum imperium nobilitatur, & juri in rem sive dominio contradistinguitur; sed ut utramque materiam, cum personas, tum res, sibi subjacentem habet, & jus in rem imperii partem constituit.

e) Grot. d. Jur. B. ac P. lib. 2. c. 3. §. 4. n. 1. & 2.

§. V. Quod ut notemus, (f) *Lampadius* facit, qui summum Imperium sive majestatem descripturus non per potestatem, sed per potentiam activam regenda Reipubl. definit eique descriptionem potentiaæ activæ (physicæ) (g) ab *Aristotele* traditam accommodat. Etsi enim demus, potestatis notionem hic ipsam potentiaæ, à qua non rarò distinguitur, vim omninò includere intineque conjunctam habere, quod imperium, summum in primis, fatentibus Politicis, sine vi ἀναγκαστικῆν ferè nullum & elusorium sit; tamen majestatem seu summum imperium per potentiam

f) tr. de Rep. Rom. Germ. part. 1. §. 9. & 10.

g) §. Metaph. c. 12, & 9. Metaph. c. 1.



h) Bœcler. comment. ad Grot. p. 76.
 i) Grot. de Jur. B. ac P. lib. 2. c. 22. §. 13. n. 1. & 2. Mart. Schoockius de Majest. th. 22. & seqq.
 k) Luc. 2, v. 1. In l. hostes. ff. de captivis.
 m) in l. cunctos populos C. de summ. Trin. & fide cathol.
 n) Martha Neapolit. lib. de jurisd. part. 1. c. 27. Petrus de Andlo lib. 2. d. Imp. Rom. c. 8. Matth. Stephani lib. de jurisd. part. 1. c. 1. n. 4.
 o) System. polit. c. 9. n. 24.
 p) Disp. polit. 2.
 q) Hottom. in Franco Gallia. Buchan. in dialog. de jur. regni Scotiæ. Salam. in suis de princ. libb.
 r) de Jur. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 7. n. 1.
 s) Thomaf. Tabb. polit. 48. Bœcl. Inst. Polit. lib. 2. c. 1. p. 93. Arnif. de Jur. Maj. lib. 1. c. 2.

activam, nisi forte eâ moralem intellexeris, definire vel le prorsus incongruum esse duxerim, cum (b) summum imperium, & quæcunque summam in civitate potestatem constituunt, non nisi juris nomina sint.

§. VI. *Summam* verò cum nominavimus hanc potestatem, sicuti in præsentem tantum humanam spectamus, ita non absolutè summam, sed accommodam & in genere potestatis saltim humanæ summam & quoad eos, in quos fertur, illimitatam intelligimus, & quidem non in sensu, ut loquuntur, agente & positivè talem, quæ omne imperii genus supergressa omnia regna, imperia & Respublicas, quotquot in toto hoc terrarum orbe sunt, sibi subiectas habeat: (i) qualem inter homines potestatem omnino nullam, nec nisi supremo Numini propriam, Imperatori Romano, quod ipse interdum se mundi Dominum vocet, & in (k) S. literis imperium ejus *τῆς ὀκράτειρας* nomine adpelletur, frustra tribuerunt Jctorum nobilissimi (l) Bartolus, (m) Baldus (n) alique Romani juris Doctores non pauci; sed negante sensu, quæ inter homines altioris gradus nescia, nec extrinsecò alterius hominis nutu, nec intra suam civitatem vel à subdito, vel etiam, quod (o) Althusius, (p) Hanonius (q) alique popularis juris patroni contendunt, ab universo populo quoad ea, quæ ad cœtum, cui supereminet, spectant, adstringatur. Verbo: talem heic innuimus potestatem, cujus actus, ut (r) Grotius loquitur, alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitriò irriti reddi possint.

§. VII. Denique, quod dictum: *in civitate*: S. Imperii materiam (s) in Qua seu subjectum, commune scilicet ac mediatum, vel, ut alii loqui amant, subjectum Quod expressimus, subjecto Quò interim propriò ac immediatò ma-

manente personâ unâ pluribusve pro cuiusque gentis legibus ac moribus; idque ideò, ne quis fortè existimet, S. Imperium esse potestatem absolutè & qualitercunque summam, sed summam tantùm in ordine ad civitatem. Cujus notione heïc, ut patet, non pro *jure civitatis* utimur, quò significatu *civitate donari, civitatem adimere, amittere, eripere, &c.* frequenter apud (t) *Ciceronem* dicitur; nec in sensu populari pro *domibus, tectis congestisque lapidum, urbe sc. vel oppido*, sed politico magisque propriò, pro *ipsis scil. hominibus in societatem civilem collectis, h. e. civibus*, neque his duntaxat aliquam partem integram societatis civilis perfectæ, sed hanc totam constituentibus certoque imperandi parendique ordine ad benè beateque vivendum distinctis, in quo pleno significandi genere ea notio passim *Politicis* adhibetur.

§. IIX. Neque tamen dum S. Imperii subjectum commune Civitatem, proprium Imperantem aut uno plures diximus, duo cum Monarchomachis diversa ac realiter distincta imperia statuimus, quorum unum Reale, ut vocant, in civitate resideat, alterum personale in Rege ac Magistratu Monarchico, hocque illi subjiciatur ac inferius sit. Hanc enim oppidò absurdam ac secum pugnantem, nec nisi in perniciem Optimatum ac Regum cum primis natam sententiam dudum eliminarunt (u) *Grotius*, (x) *Bæclerus* (y) *alique accuratiores Politici*. Sed hoc volumus, quod quia S. imperium duplicem importat respectum, unum ad civitatem, extra quam nec est nec esse potest; alterum ad imperantem, qui civitatis membrum ac pars est, æquè ac visus nunc totum corpus, nunc præcisè, qui in corpore est, oculum respicit, ideò pro duplici isthoc respectu duo S. Imperio à Politicis assignentur subjecta,

t) Orat. pro Balbo.

u) de Jur. B. ac P. lib. 1. c. 3. §. 8. n. 1. & seq.

x) in Inst. Polit. lib. 2. c. 1. & com. in Grot. lib. 1. c. 3. p. 225.

y) Conring. de subj. sum. potest. Thomaf. in not. ad tab. polit. 48. Clafen. comp. polit. lib. 3. c. 2. p. 281. & seq.

com-

commune sc., quod ita S. Imperium recipit, ut præter ipsum recipiat etiam alias formas, v. gr. subjectionem, & dicitur Civitas; ac proprium, quod ita idem recipit, ut quo sensu illud recipit, simul alias formas recipere nequeat, & est summus imperans: ut tamen hinc à duplici isthoc, quod summo imperio datur, subjecto nequaquam cum Monarchomachis duo illicò in eadem Republica summa & à se realiter distincta inferre liceat imperia, sed (z) sicuti duo visus statuuntur subjecta, unò manente visu, & corpus saltem visus subjectum audit, in quantum oculus, quò mediante corpori visus inest, in corpore est, ita simili sensu duo summo imperio tribuuntur subjecta, civitas & persona imperans, citra ullam tamen ejus in duo realiter distincta imperia partitionem aut sui multiplicationem.

z) Grot. cit. c.
§. 7. n. 1.

§. IX. De hoc ergò *Summo*, cujus naturam paucis hæctenus delineavimus, *Imperio*, penes Romanum illud *Dictatorem num fuerit nec ne?* nunc videndum erit. Quod ut eò expeditius fiat, pro felici hujus quæstionis decisione in antecessum annotamus sequentia.

I. Non de quibusvis, nullâ habitâ ratione temporum, sed antiquissimis illis ac primis saltem, iisque Optima lege creatis Dictatoribus hic sermonem esse: quales quidem fuerunt IV illi ante legem Duiliam creati, quorum nomina cum prænominibus & agnominibus ac notis, nec minus, quibus Dictaturâ potiti, annis & Magistris Equitum hoc ordine nobis exhibent *Fasti Capitolini* & ex parte *Columnæ Triumphales*.

AN. P. R. C. CCLII.

T. Largius = f = n. Flavus. Primus DICT.
Sp. Cassius = f = n. Viscellinus. Primus MAG. EQ.
R. G. C.

AN.

AN. P. R. C. CCLVII.

A. Postumius a f. n. Albus Regill. Dict. Primus de Latineis.

T. Æbutius T. f. n. Elva MAG. EQ.
R. G. C.

AN. P. R. C. CCLIX.

M. Valerius Volusi f n. Dict. de Sabineis.

Q. Servilius P. f. n. MAG. EQ.
SED. S. & R. G. C.

AN. P. R. C. CCXCV.

L. Quinctius L. f. L. n. Cincinnatus Dict. de Æqueis.

L. Tarquitiu L. f. Flaccus MAG. EQ.
R. G. C.

Qui hos magno secuti numero, etsi pro temporum rerumque per illos expediendarum diversitate alii majus minusve, minimè tamen ut priores illi summum & illimitatum, sed cum aliis rebus tum maximè provocatione ad populum imminutum habuerunt imperium.

§. X. Hoc ut adpareat, repetendum ex (a) *Livii* a) lib. 2. c. 7. (b) aliorumque historiis est, quod exactis regibus & ab his b) *Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. lib. 5.* ad COSS. translato imperio, quum introductis à *Valerio* in Rempubl. ad adimendam plebi regni tunc affectati suspicionem adpellationibus animadversiones in cives sublata aliisque rebus non parum COSS. debilitata potestas esset, factum, ut quod tam sanctè hactenus veneratum, imperium jam permisa rei ad plebis suffragia provocatione paulatim vilescere & tandem omninò excuti cœperit: Itaq; hoc rerum statu circumspectans Senatus, quò pacto laxata hactenus provocatione plebis obedientiâ eadem ad officium redire cogi possit, decrevit novum eumque summum & à Regio non nisi nomine ac tempore differentem.

B

magi-

magistratū in Rempublicam introducere, cui summa belli ac pacis aliarumque rerum potestas esset; & à quo consiliorum factorumque rationem nec reposcere nec ejus jussis contradicere liceret, quem Dictatorem vocarunt.

c) §. 27.

§. XI. Primus autem, ut in (c) superiori dissertatione contra *Festum & Franciscum de Rosieres* ostensum, fuit *T. Largius*, quem postmodum in imperio excepere *A. Postumius*, *M. Valerius*, & *L. Quinctius Cincinnatus*: quorum ἀνομιαν, liberum ac omninò summum quin fuerit imperium, nullatenus celebriorum scriptorum nos dubitare sinit auctoritas, qui suis, quibus hinc inde utuntur, locutionibus primi temporis Dictatores, cum nondum provocatio ad populum esset, Romanis summo imperio præfuisse satis indicant. Sic enim de *Lartio* (d) *Livius*: *Creatò Dictatore primùm Romæ, postquam præferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit, ut intentiores essent ad dicto parendum: neque enim ut in COSS., qui pari potestate, alterius auxilium, neque provocatio erat, neque ullum usquam nisi in cura parendi auxilium.* Consimilia

d) lib. 2. c. 18.

e) cit. lib. c. 29. (e) idem in *Appio*, quem ita loquentem inducit: *Non mihi sed licentià tantum concitum turbarum, & lascivire, magis plebem quàm sevire, id adeò malum ex provocatione natum, quidpe minas esse COSS. non imperium, ubi ad eos, qui unà peccaverint, provocare liceat. Agedum Dictatorem, à quo provocatio non est, creemus, jam hic, quò nunc omnia ardent, conticescet furor, pulset tum mihi lictorem, qui sciet jus de tergo vitæque sua penes unum illum esse, cujus majestatem violavit.* Alia ejusdem in hunc sensum occurrunt passim. *Planius* adhuc & magis distinctè *Dionysius Halicarnassæus*, qui Dictatori non, ut *Livius*, summam solùm, sed & amplius plenam potestatem attribuit, dum

dum productis ante discrepantibus benè diu in Senatu de plebis debitis sententiis (f) hunc in modum differit: f) lib. V. p.

ἐν τοιαύτῃ ἢ καταστάσει τῶν ὑπαρχόντων σκοπεῖται ἡ βεβλή, δι' 333. n. 38.

ἢ μάλιστα διαπράξεται τρόπος μηδὲν εἰς νεωτέρισται τὰς δημο-
 λικὰς ἐκέρμεν τὴν μὲν ὑπαλικὴν ἐξουσίαν ἀνελεῖν καὶ τὸ παρὸν,
 ἐπίστα δὲ πῶς ἀρχὴν ἀποδείξαι πολέμου τε καὶ εἰρήνης καὶ

παντὸς ἄλλης πράγματι. κυρίαν ἀποκρίσει καὶ ἀυπί-
 θυον ὡς αὐτὴ βεβλήται καὶ πράξει. In hoc rerum statu Senatus
 dispiciens, quò pacto effici possit, ne quas amplius res novas
 moliretur populus, decrevit, consulari potestate in praesens
 sublatâ, alium magistratum creare, penes quem belli pacis-
 que & omnium aliarum rerum plena potestas esset, & à quo
 consiliorum factorumque rationem repositura non liceret.

Et paucis interjectis: τὸν ἰσχυρότατον ἐκέρμεν ἵπτι τὰ πράγμα-
 τα ὡς ἀγαγεῖν, ἢ πάντας ἐμελεῖν ἐξεῖν ὑφ' ἐαυτῆς τὰς νόμους,
 decrevit (Senatus) in Rempubl. introducere potestatem ty-
 rannica parem omnibusque legibus superiorem. Mox:

ἦν ἢ τὸ πρεσβύτατον τοῖονδε: Δάρκιον μὲν καὶ Κλοίλιον τὰς
 τότε ὑπατίουνας ἀποδέδοται τὴν ἐξουσίαν καὶ εἰς τις ἄλλῃ
 ἀρχὴν πῶς εἶχεν, ἢ πραγμάτων κοινῶν ἵπτιμέλειαν. ἕνα ἢ

ἄνδρα ὃν αὐτὴ ἡ βεβλή πρεβλήται καὶ ὁ δῆμος ἵπτιψηφίσται,
 τῶν ἀπάντων ἐξουσίαν ὡς ἀλαβόντα ἀρχὴν μὴ πλείονα χρόνον
 ἐξαμῆνας, κρείττονα ἐξουσίαν ἔχοντα τῶν ὑπάτων· τὴν ἀγνοήσαν
 τις ἦν ἔχει δύναμιν οἱ δημοτικοὶ, ψηφίζονται κύρια εἶναι τὰ
 δόξαντα τῆ βεβλή· ἦν ἢ ἄρα κρείττων ἀρχὴ τῆς καὶ νόμους τυ-
 ραννίδος. Fuit autem Senatusconsultum tale: Largium

& Cloelium COSS. & si quis alius magistratu aliquo aut pu-
 blico munere fungeretur, potestatem deponere, unum autem
 virum à Senatu electum populique suffragiis adprobatum,
 habere semestrem potestatem rerum omnium, amplio-
 rem quàm sit Consul. Hoc quid sibi vellet non satis intelli-

gentes plebeji, *Scutum ratum fecerunt, quamvis major esset hujus magistratus potestas quam legitima tyrannidis.* Paulò post: οὗτος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ μοναρχὸς ἀπεδείχθη πολέμου τε καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλης πράγματός αὐτοκράτωρ. Hic (loquitur autem de Lartio) primus omnium Roma Monarcha designatus est cum plenaria belli ac pacis omniumque aliarum rerum potestate. Deinde: ἐπεὶ τὸ γε τῆς ἐξουσίας μέγεθος ἧς ὁ δικτάτωρ ἔχει ἤμισα δηλεῖται ὑπὸ τοῦ ὀνόματος (ἐστὶ γὰρ αἰρετὴ τωραννίς ἢ δικτατορία). Potestatis sanè, quam Dictator habuit, magnitudo ipsò vocabulò haud quaquam declaratur (electitia namque quaedam tyrannis est dictatoria potestas.)

g) Zonar. Annal. tom. 2. p. 21. Sigon. de antiq. jur. civ. Rom. lib. 1. c. 20. p. 70. Eutropius brev. hist. Rom. lib. 1. c. XI. Pompon. l. 2. §. de Orig. jur. h) in Opt. lex.

Similia apud (g) alios sparsim. §. XII. Ex his jam evidens est, primos illos ante pro- vocationem ad populum factos DICTT. summum idq; li- berum habuisse imperium, solosque, quod sine comitiis no- minationis saltem à consule factæ interventu supremum jus nacti, inde *OPTIMA LEGE CREATOS* dictos fuisse non Festus solum sed Cicero etiam asserit. Clarè enim (h) ille: in magistro populi faciundo, qui vulgò Dictator ad- pellatur, quàm plenissimum posset jus esse significabatur, ut fuit *M. Valerii M. F. Volusi Nepotis*, qui primus magister populi creatus est. Postquam autem provocatio ab eo magi- stratu ad populum data est, quæ antea non erat, desitum est

i) Orat. alt. de leg. Agrar. contra Rullum.

dici ut optima lege, utpote imminuto (i) jure posteriorum magistratum. Nec minus alter, quis optima lege creatus magistratus, in *Rulli* postulatis refellendis haud obscure indicat. Si fieri potest, inquit, ut in hac civitate, quæ longè jure libertatis ceteris civibus antecellit, quisquam nullis co- mitiis imperium aut potestatem assequi posset, quid attinet tertio capite legem curiatam ferre jubere? Quoniam quar- to permittas, ut sine lege curiata idem juris habeant, quod ha- berent,

berent, si optima lege à populo essent creati: Reges constituuntur, non Decemviri, Quirites &c.

§. XIII. Quanquam autem, ut dictum, Romanis summò illi primum jure imperarunt, tamen haud ita diu id duravit, sed quod in Consulatu ac Decemviratu summis primùm potestatibus usu venit, ut, cujus ante haud quam subditæ, plebis arbitrio postmodum subessent, id progressu temporis & Dictaturæ accidit, quæ haud secus ac illæ adpellationibus ad plebem hujusque judicio deinceps obnoxia esse cœpit, & annò V. C. trecentesimò quartò (CCCIV) quò tempore Decemviratus è Republica proscriptus (k) lege primùm *Horatia*, post etiam *Duilià de non creando in posterum ullo sine provocatione sub pœna capitis magistratu* multum debilitata fuit, populique firmata libertas.

k) Liv. l. 3. c. 55.

§. XIV. Ejus functionis præter alios etiam (l) *Li- vius* meminit causamque, Romanis illam quæ extorsit, in Decemviros horumque insolentiam ac tyrannidem rejicit. Cum enim ad hos anno V. C. supra trecentesimum (m) tertio (CCCIII) vel potius (n) altero (CCCII) legibus ferendis supremum idque annum & sine provocatione devolutum esset imperium, nec quicquam amplius in populo, sublatis è Republica, quæ ante Decemviros fuerant, præcipuis libertatis munimentis, intercedendi ac provocandi potestate, relictum præsidii, accidit, ut præterlapsò primò Decemviratus annò, qui in sequentem legibus supplendis suffecti, Decemviri statim initio suæ administrationis, quum priorum imperium cum insignibus regiis per omnes in orbem iret, singuli cum duodenis fascibus securibusve in publicum prodierint centumque viginti (CXX) licitoribus forum impleverint. Quibus ceterisque pro impe-

l) cit. lib.

m) M. Varro. n) Liv. d. lib. c. 33. Dionys. lib. 10. Solinus Polyhist. c. 1. & Eutrop. Brev. hist. Rom. lib. 1. c. 16. Euseb. in Chron. Sigon. Fast. Consul. p. 58. & Fasti Capitol.

rio tyrannicè administratis effectum, ut de tollenda in posterum foedissimâ hâc potestate Romani consilium cœperint, eandemque mox è Republ. adjectis insimul capitalibus; *Valerii & Horatii COSS. Tribunique plebis Duilii (alii Duellii) sanctionibus*, quibus magistratuum posthac sine provocatione interminata creatio, funditus sustulerint. Ab eo itaque tempore, quæ hactenus maxima & omnino libera, Dictaturæ potestas his ipsis legibus summa & libera esse desuit, & non minus plebi per adpellationem quam Tribunis plebis per intercessionem, ut consulatus ceterique magistratus, obnoxia esse cœpit, qui dictatoris vim propulsare, ejus jussa rescindere ceterosque imperii actus pro intercessionis, quâ pollebant, auctoritate unicò solemnique verbò, VETO, inhibere poterant.

o) Grot. de
Jur. B. ac P.
lib. 1. c. 3. §. 10.
n. 5.

§. XV. II. Observandum (o) discrimen S. Imperii

à summo minori non esse petendum ex delatione imperii per successionem, electionem vel similem imperium capessendi modum, ut quidem multi faciunt, contendentes, quæ primò modò deferuntur imperia, ea omninò summa esse, non item quæ reliquis. Et si enim demus, (p) succedendi rationem quodammodo liberiolem esse & plerumque in illis populis, ubi *παύσασιλεύα* liberumque imperium est, obtinere, non tamen hinc existimandum, in regnis electivis non posse esse *αὐτοκρατορίαν* aut *ἐξουσίαν αὐτοτελήν*, cum multa etiam sanguinis jure delata, unice addicta domui seu familiæ, imperia non summa; & multa, electione vel simili modò acquisita, summa fuisse notum sit. Ita *Spartanorum* regna etiam post *γεργσίας* & Ephorum constitutionem, qui reges suos coercere & in vincula conjicere poterant; & Heroum temporibus pleraque in Græcia ad hæredes transiisse; & (q) *Aristotelis* & (r) *Historicorum* sententia

p) Boecl. in
diff. polit. 15.
de Regno §. 4.
p. 397.

q) lib. 2. c. 9.
& 3. Polit. c.
10. & 11.

r) Dionys. Halicarn. Anti-
quit. Rom. lib.
2. p. 86. Thu-
cydides lib. 1,

tia

ria est: etsi nec horum nec illorum Reges verè tales, sed saltim principes, eorumque regna impropria & meros principatus fuisse constet. Contra (s) quam multi ex Romanis Imperatoribus, quotiens, quem lex successionis demonstrare posset, rectore casu quodam Republica vacaret, populi aut militum eligentium suffragiis ad imperium evecti, quos tamen nemo nisi historiarum planè ignarus ceteris, quibus imperium succedendi jure delatum, potestate inferiores aut imperiò Monarchico planè destitutos esse dixerit.

s) Boecl. com. ad Grot. lib. 1. c. 3. §. 10. p. 238.

§. XVI. III. Nec *ex nomine*, cujus ambiguo sonò multos, etiam (t) *Bodinum*, in concinnandis quaestionibus de Majestate toties deceptos vidimus. Cum plures regiò nomine insignitos constet, qui auctoritate magis quàm imperio Rempublicam administrarunt; Et contra alios principis saltim titulò contentos fuisse, quos tamen summum idque liberum tenuisse imperium cognitum habemus. Sic *Pœnorum Sufes* (u) *Justino* & (x) *Orosio* Rex, (y) *Aristoteli* & (z) *Polybio* βασιλεύς dicitur, quod & (a) *Diodorus*, (b) *Solinus*, (c) *Nepos* aliique confirmant, & amplius ex *Hannonis* periplo liquet, cujus frons: *Hannonis Chartaginiensium regis*. Et (d) *Procopius* barbaros duces suos reges vocasse scribit. Simile quid de priscis Germanorum regibus (e) *Tacitus*, quos auctoritate svadendi magis quam jubendi potestate & libero imperio præfuisse asserit. Sed & *Cypros* aliosque reges, quò tempore Persis paruerunt, & *Spartanos* *Duces* sonò magis nominis quàm re ipsa reges fuisse (f) ex historicis liquet. (g) Contra Romani, etiam cum summò nec ab ullius voluntate suspensò jure imperarunt, nihilominus nominum acerbitate sublatà ad tegendam potestatem verè regiam aut certè

t) 1. de Rep. 8. & alibi passim.

u) lib. 22. c. 7.

x) hist. l. 4.

y) l. 2. Pol. c.

ii.

z) lib. 1.

a) lib. 3.

b) Polyh. lib. 1.

c) in Hannibal.

d) lib. 1. de bello Gothico.

e) de Mor.

Germ. c. 7. & 11.

f) Diod. Sic.

lib. 16. Corn.

Nepos in Age-

fil. Dionys. c. 1.

Auctor Pane-

gyr. ad Maxim.

g) Boecl. in

Grot. lib. 1. c.

minu. 3. §. X. p. 237.

h) Dio in Augusto.

i) in Tiberio lib. 2. c. 52.

k) in Histor. Mosc.

l) Liv. lib. 2. c. 1. Boxhorn. diff. polit. 8. th. 3. p. m. 234.

m) Conring. diff. de differ. regnorum. §. I. Bæcl. in Grot. lib. 1. c. 3. §. 19. p. 257

n) Comp. Polit. c. 10. §. 10. p. m. 105.

o) Capit. Gloriosiss. Leopoldi I. art. 12. Klock. de Erar. lib. 2. c. 49. p. 410.

minuendam novi imperii invidiam nomine Principis imperium acceperunt acceptumque hoc titulo administrarunt. Ita de (h) *Oct. Augusto* constat, ipsum, cum liberrium teneret imperium, adeo tamen dominicum ac regium refugisse titulum, ut filium suum, cum ob uxoris partum illi sero in senatum venienti *Nigid. Figulus* acclamasset: *Nobis Octavi dominum genuisti*; interficere intenderit. Idem de *Tiberio* narrat (i) *Svetonius*; & de *Magnis Moscovia Ducibus* ante *Basilium Johannis filium* (k) *Sigism. Bar.* (l) *Quin & qui* ante illos primi fuere COSS. regium, quod habuerunt, imperium molliore multoque gratiore COSS. vocabulo commendandum populo censuere. Et quem fugit (m) *Cromwellii* ars, qui, quanquam absolutam potestate gaudebat, tamen amolendam dominationis per scelus inductam invidiam, Protectoris potius, in quo nihil superbum, nihil tyrannicum esset, quam odioso regis uti maluit titulo.

§. XVII. IV. Notandum, quod distinguenda sit *res ab habendi eam modo*, & aliud sit in *longitudine, intensivè*, ut loquuntur, *ac summum tenere imperium*; aliud in *latitudine, extensivè, omnimodum ac plenum*; aliud *omnimodè, planè & plenè proprietatis jure habere imperium*. Cum, ut verbis (n) *Micralii* utar, *majestas sit, licet imperantes jam jure temporario imperium habeant, jam perpetuò; alii illud obtineant, ut nihil populus exceperit ab eorum potestate, jure sc: plenè proprietatis, ceu sunt regna, quæ sunt in patrimonio*; alii cum conditionibus certis illi præsent. Rem unò vel altero illustrabimus exemplo. Ita luculentissimum *summi imperii sine plenitudine plenoque proprietatis jure exemplum* præbet Imperium nostrum Romano-Germanicum, cum ut (o) *Capitulationes Casareæ ceteraque*
impe-

imperii constitutiones & pragmatica sanctiones monstrant, hodiernum nec cuncta imperii jura in Imperatoris arbitrio sint, nec ullius ille juris ac bonorum, quæ ad imperium spectant, absque præscitu voluntate ac permisso Electorum distrahendi, oppignorandi vel obligandi aliove quôvis modò alienandi jus & facultatem habeat. Sed & porrò *imperii summi simulque pleni sine ullo tamen alienandi jure, exemplum regnum Gallia* exhibet, quod veteri in Gallia lege ac consuetudine inalienabile quibusdam *Gallorum Politicis* tunicæ Christi in futuri comparari solet. (p) Quamquam enim Regibus concessum est uti frui possessionibus ac facultatibus regni pro arbitrio, illis tamen easdem aut regnum vel partem regni vendere, donare aut permutare invitò populo nullatenus licere (q) *Caroli VI, Johannis, Francisci I & aliorum Gallia regum*, alienationem regni aut partis ejus, sed nequicquam tentantium exempla edocent. Denique nec desunt exempla *imperii pleni ac plene sic dicti*. Ita *Pipinum Aquitanniam*, ut armis partam inter liberos divisisse, (r) *Fredegarius; Alphonsum Arragonium Neapoleos regnum* bello quæsitum *Ferdinando, Notho suo*, & hunc in eodem regno quasdam urbes nepoti reliquisse, (s) *Mariana* memorant. Sed & *Ochus*, cognomento *Darius Nothus*, (t) *Justino* teste *Artaxerxi Mnemoni*, alias *Arsaces* dicto, regnum, *Cyro* civitates, quarum præfectus, testamento legavit. Et apud (u) *Diodorum Siculum Hercules* Spartæ bello captæ imperium *Tyndareo* hac lege dedisse dicitur, ut si quos ipse *Hercules* liberos relinqueret, iis restitueretur. Simili imperandi jure usi sunt *Alexandri successores*, qui sibi proprium ac plenum, in quod pro sua quisque parte successerat, aut ipsi etiam victoriæ jure quæsierant, imperium alienandi jus arrogantes, alius

p) Claud. Sifell. I. de Rep. Gall. p. 27. & 279.

q) Innocent. Gentilett. Anti-Machiavell. lib. 1. theorem. I. p. 57. 66. & seq. Heuter. de rebus Austriac. lib. 9. c. 5. Fr. Har. tom. 2. Annal. 1526. p. 566.

r) Chron. extremô.

s) lib. 30.

t) lib. 5. c. XI. in princ.

u) lib. IV.

C

Ast.

Asiam, alius Ægyptum, alius aliam Monarchia Macedonica laciniam ac partem in Romanos transtulerunt, eosdemque & regnorum & bonorum hæredes fecerunt.

§. XVIII. His ita præcognitis jam non amplius difficilis præsentis quæstionis esse poterit decisio. Scilicet si, quod & hujus & alterius dissertationis fundamentum est, non indistinctè de singulis, sed illis duntaxat Dictatoribus, qui ante *legem Horatiam Duilliamque* isthoc perfuncti honore sunt, sermo est, institutionisque causam ac scopum & cetera in Dictatura seriò & sine omni affectu ponderamus, certè non possumus non his, si non plenum & plenè tale, at summum liberumque tribuere imperium.

x) Dionys.
Halicarn. Antiq. Rom. lib. 5.

y) Boxh. diff. polit. 9. th. 6.

Prima namque novi hujus imperii causa, ut (x) Historici notant, intestina obæratæ plebis dissidia erant, quibus major civitatis pars à Patriciis & ditioribus ob æs alienum sese oppressum quærebat. Plerisque enim crebris cum vicinis bellis agrorum non modò fructibus, sed & tectis pecoribus aliisque bonis exuti erant, ac idcirco æs alienum contractum. Cumulatis itaque & indies auctis usuris, cum creditores solutionem urgerent, expressaque sese contra debitores lege tuerentur, (y) quâ permissum ære alieno obrutos vinculis, catenis & compedibus in jus vocare, diebus sexaginta in vinculis habere, eosque interea tribus nundinis continuis ad Prætorem in comitium producere, tertiis autem nundinis, si satisfactum non esset, è medio tollere, ut mancipia habere aut trans Tiberim peregrè venundare, & si plures forent, quibus rei essent judicati, in partes secare; debitores contra, amissis omnibus, quæ possederant, non solum solvendo non essent, sed & æris alieni remissionem suppliciter, sed nequicquam hæctenus

atenus postulassent, consultius his visum, ut quod multis hucusque precibus, id in posterum vi ac minis agerent.

§. XIX. Nec deesse tūm ipsis ad perficienda, quæ animo destinaverant, videbatur occasio, quidpe (z) atrox instabat bellum, & jam *Aricinos, Ardeates, adscitis in belli societatem Bovillanis, Bubetanis, Coranis, Cornetanis, Gabinis, Laurentinis, Lanuvinis, Laviniensibus, Labicanis, Nomentanis, Tiburtinis, Tusculanis, Veliternis, Trebanis, Norbanis, Praenestinis, Pedanis, Querquetulanis, Satricanis, Scaptinis, Setinis, ceterisque Latini nominis populis, Romanis* arma minari constabat. Dum ergò bello intentus Senatus dilectum haberi illudque summò studio adparari jubet, plebs, in cujus corpora à creditoribus crudelissimè hæctenus sævitum erat, ad arma vocata adesserunt, nihil sibi cum Patriciis esse dictitans, nisi SCto remittantur debita. Itaque si in posterum periculorum se velint socios, aut debitorum remissionem concedant, aut per dilationes nullum amplius fucum faciant. Ad hunc modum constitutis rebus nec nisi ad seditionem spectantibus, cum nulla omninò auxilii spes tot hostibus propulsandis foris aut etiam domi in plebe se ostenderet, COSS. quoque potestas lege Valeria, quæ animadversiones in cives sustulerat, & ad populum velut majorem judicem cuivis provocandi jus ac facultatem dederat, dudum enervata esset, placuit Senatui, quia nec COSS. nec ullius alterius magistratus auctoritas expediendæ Reip. par erat, majorem quàm COSS. potestatem in Rempublicam introducere, eamque ad tumultuantem multitudinem ad arma cogendam, bellumque, quod instabat, tantò promptius depellendum in unum, cui singuli subessent, cujusque suprema vis nullò dissentientium collegio impediri posset, conferre.

z) Dionys. cit. lib.

§. XX. Ex quibus omnibus nunc colligere pronum est, quale Dictatori tum temporis Senatus deferre voluerit imperium. Nimir. non inferius aliquod & summò minus, quò vel COSS. vel alii magistratus usi sunt, id enim instituenti illud ejusque proposito haudquaquam conducibile fuisset, cum, ut ante diximus, hujus (Dictaturæ) introductione non aliud quicquam Senatus intenderit quàm quæ ex nimia licentia ejusque, quod debebatur, relaxationis denegatione tantum turbarum concitaverat, plebem ad arma compelleret, hostiumque intentatæ vi eò magis occurreret, quibus peragendis nec Consulum nec alterius inferioris imperium, utpote adpellationibus ad plebem hujusque judicio obnoxium, ullatenus sufficiebat; sed superius ac summum, idque absque cujusquam ab eo ad populum adpellandi jure, quod hujusmodi negotiis expediendis unicè adhuc supererat.

§. XXI. Sed hæc *summa Dictatoris potestas*, quam ex instituentis scopo hæctenus deduximus, ut porrò pateat, insigniora ejus ex Auctoribus jura memorabimus.

a) Liv. lib. 2. c. 18. Dionys. lib. V. extren. 6.
Lipsius de Magistr. V P. R. c. 17. Onuphrius comm. in I. Fast p. 70 Zonaras Annal. tomo 2. p. 21.
b) Horn. Instit Pol. lib. 2. c. 2. §. 2, 3, 4 & 12.
Lampad de constit. Imp. R. G. part. 1. §. 44.

§. XXII. Ex illis in Dictatore imprimis *summa se commendat (a) potestas ac jus animadvertendi in caput & vitam civium, quod Politicus jus vitæ ac necis, synecdochicè gladii potestas, jus judiciorum & juris reddendi potestas dicitur, & inter præcipua jura majestatis nomen proficitur.* (b) Huic enim juri singulorum civium non modò actus subsunt, inque civitati propositum ab eo diriguntur finem, sed ejus etiam adjutoriò saltim non omnia summi imperii jura, ne precarium eorundem exercitium habeatur, indigent. Tolle namque hoc jus, & legum ac belli & aliorum insimul jurium animam ac vim sustuleris, inaneque inposterum nomen & sine effectu imperium erit. Vidit hoc for-

fortassis (c) Pomponius & (d) And. Domin. Floccus, si is est, ut
 doctis visum, verus de Magistr. Rom. libelli Auctor. Quo-
 circa de Dictatoris illi imperio agentes, hujus, ut & alteri-
 us solum, quod illi tam arctè innexum, non adpellandi ju-
 ris mentione injectâ ingeniosum hoc ipsò summi imperii
 ejusque jurium nobis sistere voluerunt compendium, ad
 summum Dictatori imperium asserendum satis esse, si vel
 his ipsum juribus, quæ ceterorum, ut & ἀπάσης τῆς πολιτείας,
 ut de (e) Censura Plutarchus loquitur, Ἰππελείωσις est, mu-
 nitum esse dixerint.

c) l. 2. §. 18. ff.
 de O. J.
 d) de Magistr.
 Rom. c. 8.

e) in M. Ca-
 tone

§. XXIII. Porro inter nobiliora summi imperii ju-
 ra etiam Dictatori tribuitur Jus Pacis, quodq; hujus causa
 geri debet, Belli seu armorum, aut, ut barbari vocant, ar-
 mandia Jus, etsi aliò, quàm apud (f) Ciceronem & Grotium,
 qui sui operis titulum inde desumpsit, significatu. Erat
 enim noster, ut (g) Dionysii verbis utamur, πόλεμος τε καὶ
 εἰρήνη ἀποκρίτως, in omnibus cum belli tum pacis negotiis
 liber sui que juris, poteratque ille pro ea, quâ erat potestate,
 non de pace solum, sed etiam de bello agere, dilectum ha-
 bere, exercitum scribere, educere, reducere, dimittere, in
 hostes irruere, prædas agere, munimenta exstruere, præ-
 mia pœnasque militibus decernere, & quicquid vel ad ar-
 ma inferenda vel administranda, & in universum ad arma-
 tam Reipubl. tutelam pertinebat, id penes ejus erat ar-
 bitrium, (h) adeò ut nihil horum vel ad Senatum vel ad
 populum referret.

f) c. 6. Ora-
 pro Balbo.

g) lib. 5.

h) Rosinùs
 Anriq. Rom.
 lib. 7. c. 7. Li-
 pfius cit.

§. XXIV. Sed his ab auctoribus adjiciuntur alia:
 ut Jus ferendarum ac tollendarum legum, jus societatis aut
 ineundi fœdera, jus in possessiones & bona civium, neque non
 & con-destituendi mutandique magistratus potestas, (i) à
 quibus etiam dictandis Dictatorem nomen accepisse (k)

i) Onuph. in x.
 Fast. p. 71.
 k) Varr. 4. de
 L. L. Zasius in
 l. 2. ff. de O. J.

multis est visum. Audiamus de his & similibus juribus

l) Gen. Dier.
Tom. 1. lib. 4. c.
23. p. m. 1177.

præ ceteris prolixius differentem (l) *Alexandrum ab Alexandro Neapolitanum*. Sic ille: *Erat Dictatoris summum imperium, nam & capite mulctare & consulatu dejicere, honoresque aliis abrogare, aliis conferre poterat. Qui tanta potestatis erat, ut liceret ei sine Senatus aut populi consilio Romanos cives in vincula conjicere atque indemnatos morte afficere: nam & salus civium universorum, jus de tergo vitæque, leges, judicis libertas, ara, foci, & dii penates, insuper bona conjugis & liberorum pudor, pudicitia ejus tutela potestati fideique credebantur; cognationes quoque capita rerum habere, in exilium agere, bonis interdiceret, capite mulctare, bellum, pacem, fœdera, societatesque etiam injussu populi facere & dirimere sui arbitrii & juris erat, &c.*

m) Antiq. R.
lib. toties al-
leg. V.

Quin immò sunt adhuc alii, qui, his haud contenti, nec cetera, quibus imperium integratur, jura Dictatori defuisse autumant. Atque hi non in longitudine solum, & ut illi, summum, sed etiam in latitudine, h. e., plenum & circa quævis objecta omnesque Reipublicæ actiones & res imperium Dictatori deferunt. Ex his (m) *Dionysius Halicarnassensis*, qui dictione ἀπάντων aut πάντων πράγματα, quale Dictatori tum fuerit imperium, satis indicat: nimirum, ut ipsius jam supra adducta verba habent, πόλεμος τε καὶ εἰρήνης καὶ πάντων ἄλλων πράγματα κρείσσει αὐτοκράτωρ καὶ ἀνυπέυθυνος, ὡν αὖ βέλγηται καὶ προέξει,

n) in Opt. lex.
o) de M. R. c. 8.
p) de M. V. P.
R. c. 17.
q) Pigh. An. R.
lib. 2. p. 81. Ro-
finus Ant. R. c.
cit.

summum belli pacisque & omnium aliarum rerum plenum, sui que juris imperium. A quo nec abeunt (n) *Festus*, (o) *Floccus*, (p) *Lipsius* (q) alii que, quorum lectissimis si nunc insistendum vestigiis, certè præter summum, quod hic spectatur, etiam plenum idque omnimodum Dictatori assignandum erit imperium.

§. XXV. Ceterum ad supremæ hujus, de qua ha-
 tenus diximus, potestatis confirmationem non parum et-
 iam facit, *quod tot fasces cum securibus Dictatori à lictori-*
bus prælati. Quamvis enim, ut in (r) *dissertatione de Re-*
gressu diximus, ex signis & ceteris ex effectu ductis argu-
 mentis tanta in probandis rebus efficacia haud insit, quan-
 ta aliàs primi ordinis & ex ipsius rei natura petitis inesse
 debet, non tamen hinc omnis illis *δειξωσ* vis abjudicanda
 aut è disciplinis ac Scholis planè eliminanda sunt, cum iis-
 dem & *Physici* ad inveniendas rerum in natura abditas
 causas, & (s) *Medici* in occultioribus morborum causis
 dignoscendis identidem utantur, hisque etiam peculiaris
 artis suæ pars *σπουδαίωσ*, quam vocant, tota in hujus modi
 signis occupata, constituatur. Non igitur & nos adeò ma-
 lè in posterum acturi sumus, si allatis hucusque ex insti-
 tuentis scopo & essentialibus imperii partibus, aliisque pri-
 mæ notæ rationibus, sequioris etiam ordinis argumen-
 ta pro ulteriori Dictatoriæ potestatis intellectu subjun-
 gamus.

§. XXVI. Ex his autem, ut dixi, illud est, quod ex
 Dictatoriis ducitur insigniis. Ut enim supra vidimus, non
 (t) curulis solum sella aut purpura Dictatori data, sed equi
 etiam phalerati, lictores ac cum securibus fasces, cetera-
 que Regum insignia. Quid? quod, ut ibidem (u) contra
Mercerum ex antiquitate notavimus, illi non, ut Regibus,
 duodecim tantum, (x) sed & totidem alii quatuor & vi-
 ginti cum securibus fasces à tot lictoribus in urbe prælati
 sunt. Jam quem tot ac tantis & plus quàm regiis Roma-
 ni exauctum voluere insignibus, ejus potestatem oppidò
 magnam fuisse probabile admodum est. Et quia, ut indu-
 ctione omnium omninò, quotquot cum fuerunt, magi-
 stra-

r) §. 23.

s) Schegkii
 comm. in 2.
 Prior. Anal.

c. 27.

t) Dionys. lib.
 5. & 10. Floc-
 cus d.M.R.c.8.

u) §. 38.

x) Dio Cass. in
 Aug. init. lib.

54. Plutarch. in

Fab. M. Ap-
 pian. l. B. C.

Polybius lib. 3.

Alex. tom. 1.

G. D. lib. 1. c.

27. p. 207.



stratum, etiam majorum, ex historicis liquet, nemini illorum præterquam Dictatori, nec illis etiam, quibus alioqui summa potestas haud defuit, istiusmodi insignibus utendi jus fuit, sed pro majoris minorisve, quod illis tunc erat, imperii jure aliis semotis securibus fasces solum, aliis etiã cum securibus fasces non tamen in urbe, aliis deniq; fascibus alligatas secures & in urbe, non tamen tot, quot Dictatori, habere licuit, certè si non apodicticè, ut hæcenus, probabiliter tamen exinde *Nostrum* summum jus & potestatem tenuisse colligimus, tantoque magis, quanto firmioribus ac solidioribus illud antea ostensum rationibus est.

§. XXVII. Alterum huic simile *Dictatoris nomen* exhibet. Sive enim cum plerisque illud è Latio, sive cum *Suida* ex Græcia petas, utrinque hinc Dictatoris summa elucet potestas. Equidem haud ignoro (y) ex notatione petita argumenta admodum infirma esse, & ut inductione liquet, in plerisque fallere, quod nominum impositio plerumque fiat à vulgo, qui, ut rerum, quibus imponit nomina, parum intelligens & cortice sæpè contentus ad nucleum usque non penetrat, ita rebus utcunque intellectis etiam nomina imponit. (z) Si tamen *ἡ δὲ ὀνόματι* à sapientibus iisque, quibus exactum de rebus est iudicium, facta, rerumque illa rationem ac naturam sequitur, certè haud perexigua istius loci & inde ductarum rationum utilitas est, utpote quæ in ipsius rei paullatim nos ducunt notitiam, & ut (a) *Plato* loquitur, *διδάσκον δὲ διὰ τὴν ἔξω, res docendi vim habent.* Cum igitur & Dictatoris nomen ab eruditis excogitatum, rei que, cui significandæ illud impositum, omninò congruum videatur, non abs re fortassis fuerit, si hinc quoque aliquod pro ad-

stru-

y) Zeidl. Anal. Post. lib. 1. c. 1. § 5. Horn. de civit. lib. 2. c. 9. p. 476.

z) Zeidl. lib. 1. c. 12. p. 236. & lib. 2. c. V. p. 435.

a) in Cratyl.

struenda Dictatoriae potestatis summitate argumentum petamus.

§. XXIX. Et quidem quibus Latina arridet Originatio, atque *Dictatorem, vel quod futuros Romae magistratus diceret; vel liberè & pro arbitrio quod diceret ediceretque, quae è Republica essent, à dictando dictum volunt,* illi, etsi in assignanda hujus suae adpellationis ratione non nihil differant, utrinque tamen in ipsa suprema Dictatoris potestate fundamentum quærunt, cum non possit non summum habere imperium, cui aut libera dictandi magistratus facultas, aut cui, ut (b) *Dionysius loquitur, & κε- b) lib. 5. λέγειν καὶ διατάττειν, ὅτι θέλει, τὰ τε δίκαια καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἂν αὐτῷ δοκῆ ἔξουσία, h. e. imperandi ordinandique in Republica, quod vult, aliisque aqua & justa pro arbitrio suo praescribendi potestas est.*

§. XXIX. Idem volunt & illi, qui cum (c) *Suida*, c) in voce originem ejus ex Græcia repetentes, Dictatori par in omnibus binis Consulibus jus ac potestatem tribuunt, & vim intuentes imperii *δικτάτορα* (Dictatorem) per *τὴν διπλοσίαν ἀρχὴν ἔχοντα καὶ διούπατον* exponunt. Si enim, quod produnt (d) *Auctores*, liberrimum idque regium primis COSS. imperium, hisque cuncti subjecti principes & magistratus, nec Consulatus institutione ex regia potestate quicquam, quàm quod annua facta, diminutum, omniaque illos, quæ Regibus, jura & insignia mansere, facile patet, quale Dictatori, si, quod Suidas vult, eodem ille, duo quò COSS., jure gavissus, deferendum imperium sit: nimirum non, ut plerisque visum, precarium aut summò minus, sed supremum nec ab ullius arbitrio suspensum imperium.

d) Florus 1. Rer. Rom. c. 9. Floccus de Magistr. Rom. c. 8. Boxh. diff. polit. 8.

D

§.XXX.



e) lib. 3. hist. e.

87. p. 331.

f) 4. de LL.

g) lib. 5. Ant. R.

h) lib. 2.

i) de Magistr.

Rom. c. 8.

k) l. 2. §. 18. ff.

de O. J.

l) l. unicam. ff.

de offic. præ-

fecti prætorio.

m) de L. L. 4.

n) l. 2. c. 28.

o) in Fabio M.

& Marcello.

p) l. B. C. p. 359.

q) in voce

διούτωρ.

r) An. tom. 2.

p. 21.

s) Ann. Græc.

p. 327.

t) G. D. tom. 1.

lib. 1. c. 6. & lib.

4. c. 23.

u) comm. in l.

Fast. p. 70. & 71.

x) de antiq. jur.

civ. Rom. lib. 1.

c. 20.

y) de Senatu

Rom. ubi de

potestate ha-

bendi Sen.

agit.

z) de Rep. lib.

4. c. 5. sect. 32.

a) Antiq. R. lib.

7. c. 17.

b) lib. 2. An.

Mag. p. 81.

c) comm. de

Notis R. in

voc. DIC. p. 14.

d) in Not. ad

Aug. de C. D.

lib. 5. c. 12.

§§(26)§§

§. XXX. Denique hæc ipsa, quam compluribus

hactenus tuiti sumus, sententia tot illustribus quoque

celebriorum Auctorum suffulta testimoniis est. Inter il-

los apertè stant (e) Polybius, (f) Cicero, (g) Dionysius Ha-

licarnassæus, (h) Livius, (i) Domin. Floccus, (k) Pomponi-

us, (l) Aurelius Arcadius, (m) Varro, (n) Vellejus Pater-

culus, (o) Plutarchus (p) Appianus, (q) Suidas, (r) Zona-

ras, (s) Constantinus Manasses, (t) Alexander ab Alexan-

dro, (u) Onuphrius Pandinius, (x) Carol. Sigonius, (y) Pau-

lus Manutius, (z) Tholosanus, (a) Rosinus, (b) Steph. Vin. Pi-

ghius, (c) Sertor Ursatus, (d) Ludovicus Vives, (e) Just. Li-

psius, (f) Arniseus, (g) Wilhelmus Barclajus, (h) Lam-

padius, (i) Limneus, (k) Mart. Schoockius, (l) Job. Felwin-

gerus, (m) Hornius (n) Hugo Grotius, (o) Boxhornius, (p)

Richterus, (q) Casalius (r) Conringius, (s) Micrælius (t)

Pellerus (u) Clasenius, & ex Præceptoribus nostris Viri

Celeberrimi, Maxime Reverendus, Amplissimus atque Ex-

cellentissimus Dn. Valentinus Velthemius, S. Theologia

Doctor, ejusdemque Professor Publicus, ut & Nobilissimus,

Consultissimus & Excellentissimus Dn. Job. Philippus Sle-

vogtius, Doctor & Professor Juris ac Philosophia Ordinarius,

Patroni & Promotores mei omni observantia demerendi,

ille introductione ad Grotii Opus de Jure Belli ac Pacis, (x)

hic Collegio ad Tab. Cellarianas (y) quorum verba, ut nunc

brevitati litemus, adducere nolumus, à quolibet interim,

si vacat, evolvi possunt.

§. XXXI. In eandem abeunt sententiam quotquot

dictaturam (antiquam) cum Augustali aut etiam Æsym-

netico imperio conferunt. Ex illis (z) Eutropius, Auctor

breviarii hist. Rom. Neque quicquam, inquit, similis

potest dici quàm Dictatura antiqua huic imperii potestati,

quam

quam nunc Tranquillitas Vestra (intelligit autem Valen-
tem) habet, maximè cum Augustus quoque Octavianus &
ante eum C. Caesar sub Dictatura nomine atque honore re-
gnaverint. Ex his (a) Piccartus: huic imperio Æsymne-
tico similis fuit Dictatura Romanorum ad tempus rebus
turbatis sumpta, iisdemque compositis Senatui restituta.
Et, quem ille secutus, (b) Dionysius, qui dum Æsymneta-
rum regimen, ad cuius exemplum ille Dictaturam institu-
tam existimat, cum (c) Aristotele inter tyrannica collocat;
haud obscurè innuit dictatorem satis summum & abso-
lutum habuisse imperium. Verba eius sunt hæc:
ἔστι γὰρ αἰρετὴ τυραννὶς ἢ δικτατωρία· δοκῶσι δὲ μοι καὶ τῆτο
παρ' ἑλλήνων οἱ Ῥωμαῖοι τὸ πολίτευμα λαβεῖν· οἱ γὰρ αἰσυμνή-
ται καλεῖμενοι παρ' ἑλλήσι τὸ ἀρχαῖον, ὡς ἐν τοῖς περὶ βασι-
λείας ἰσορρεῖ θεόφραστος, αἰρετοὶ πινες ἦσαν τυράννοι· ἤρξαντο ὅ
αὐτοῦ καὶ καιρὸς αἱ πόλεις ἔπι εἰς ἀόριστον χρόνον, ἔπι
συνεχῶς, ἀλλὰ περὶ τὰς καιρὸς, ἵππετι δὲ ξείρι συμφέρειν
καὶ εἰς πόσον χρόνον ὡσπερ καὶ Μιτυληναῖοι ποτε εἶλοντο πηλα-
κὸν περὶ τὰς Φυγαίδας τὰς περὶ Ἀλκαιοῦ τὸν ποιητῆν. Nam
electitia quedam tyrannis Dictatoria potestas est. Viden-
tur autem mihi Romani & hanc administrationis publica
speciem mutuati à Grecis: nam qui αἰσυμνήται apud pri-
scos Grecos vocabantur (sicut in commentario de regno
Theophrastus narrat) tyranni quidam erant electitii: eli-
gebantur autem à civitatibus pro ratione temporum,
non infinitum nec continuum, sed certum præsuturi tem-
poris spatium, quanto & quantisper postularet Reipubl.
utilitas: sicut Mitylenæi olim elegerunt Pittacum con-
tra Alceum Poetam cum sociis exilio mulctatum. Hæc
ille.

§. XXXII.

- e) de M. V. P. R. c. 17.
- f) lib. 2. Rel. Pol. c. 2. sect. 15.
- g) lib. 3. de pot. est. reg. c. 5.
- h) part. 2. de Rep. R. G.
- i) comm. sup. Capit. Ferdin. 1
- k) de Majest. th. 16.
- l) dissert. Pol. p. 91. & seq.
- m) de civit. lib. 2. c. 10. §. 3. p. 527. & seqq.
- n) de Jur. B. & P. lib. 1. c. 3. §. II. n. 2.
- o) dissert. Pol. de Rom. Imp. 9.
- p) in axiomat. polit.
- q) de Vrbe & Imp. Rom. part. 3. c. 7.
- r) diss. d. Regno §. 17. & seqq.
- s) Compend. pol. c. 10. §. 10.
- t) in polit. scel. impugn. p. 256.
- u) Comp. pol. lib. 2. c. 3. p. 148.
- x) lib. 1. c. 3. quest. 12.
- y) doct. de Maj.
- z) Brev. hist. Rom. lib. 1. c. 11.
- a) Comm. in 3. Pol. c. 14. p. 463.
- b) lib. Ant. 5.
- c) 3. Pol. c. 14.

ous
ie
il-
Ha-
ni-
er-
na-
an-
au-
Pi-
Li-
m-
in-
(p)
(t)
Viri
Ex-
ogia
us,
Sle-
ius,
rdi,
(x)
unc
im,
uot
ym-
tor
lius
ati,
iam



§. XXXII. Videndum nunc etiam esset, quibus argumentis se fulciat adversa sententia, & quomodo ab ejusdem tutelaribus, quæ hactenus dicta impugnentur; sed de his proxima dissertatione, si DE O ita visum fuerit, seorsim acturi sumus.

COROLLARIA.

EX duobus malis, turpi & tristi, triste; ex tristibus minimum semper; ex turpibus neutrum, an nec minimum quandoque? eligendum.

Perpetuitas non est de S. Imperii essentia, secus ac Bodino, Gockelio aliisque placet.

Idem bellum justum simul & injustum est.

Ratio Borrasi, bellum ad S. Potestatem pertinere, quia per id Resp. augeri & dilatari potest, nobis minimè probatur.

Κυρία ὀρεγνία Δόξα.

X 2403648

ULB Halle


3

006 691 285



WMA





B.I.G.

Farbkarte #13

1. 1684, 22

2. D. B. V.

DISSERTATIONVM ACADEMICARVM
DE

IMPERIO DICTATORIS

SECUNDA

IMPERIVM DICTATORI SVMMVM EX PRINCIPIIS HISTORICO- POLITICIS ASSERENS

QVAM
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTATE
PHILOSOPHICA

PRAESIDE

M. JOH. JAC. MVLLERO

FACVLT. PHILOS. ADIVNCTO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

GERH. HENR. BREDEHOLL

HARBVRGENSIS

AD DIEM APRIL. A. C. MDCCCXXXIV.

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM

IENÆ
Litteris NISIANIS.

4

